

vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus; quasi ex rebellione ad ipsum lumen, et voluntaria exclusione viarum ejus, non sint reversi. Unde dicit S. Thomas supra qu. LVIII, art. v in calce, quod : *Proteritas dæmonum est secundum quod non subduntur divinæ sapientiæ; in hoc quippe maxime protervi sunt, et firmati, quod excludunt regulam divinæ sapientiæ, noluntque illam considerare.* Et amplius super Dionysium de divinis nominibus c. IV, lect. XIX circa finem, exponens verbum Dionysii, quod : « In Angelis naturalia dona sunt integra, et splendidissima, quamvis ipsi non vident claudentes ipsorum boni inspectivas virtutes » subjicit D. Thomas : « Quod ipsi non videant (non considerant), provenit ex hoc, quod ipsi per liberum arbitrium clausurunt suas virtutes inspectivas boni, id est, averterunt voluntarie suum intellectum, non a consideratione veri, sed ab inspectione boni, in quantum est bonum, quia scilicet nolunt illud sequi. »

XIV. In hoc ergo discursu, quo fundamentum D. Thomæ elaboramus, mentemque ruimus, major certa est, quia Angelus utens principiis sibi naturaliter notis procedit lumine perfecto, comprehensivo, non discurrente : unico ergo actu, et ictu totum, quod illis principiis subjicitur, amplectitur, et consequenter eodem motivo, eademque firmitate ipsa principia, et quæ sub eis contenta sunt, attingit. Minor probatur, quia Angelus in resolvendo seu determinando de fine solum potest attendere aut bonum proprium, aut divinum : divinum cognovit lumine supernaturali; naturaliter enim solum cognoscit Deum ex effectibus, præsertim ex sua essentia, quæ est bonum proprium, ad quem per gratiam conversus est in primo instanti : proprium bonum

cognovit per propriam naturam, quam non conjecturaliter, nec obscuro, sed evidenter, et comprehensive cognoscit : ergo in deliberando de fine, quando immediate post instans creationis tractavit de eo, processit ex principiis, vel certo notis per fidem, etsi obscure, vel comprehensivis per lumen naturale circa propriam naturam, et bonum. Non ergo processit conjecturali judicio, et non pleno, sed comprehensivo, et plene determinato. Rursus in hoc negotio, et deliberatione de fine tractatum est non solum de uno fine sequendo, sed de altero recusando, et excludendo : ergo motiva quæ possent movere ad utrumque visa sunt, et tractata, et cum cognitione utriusque unum est relictum, aliud assumptum, et id quod est relictum dicitur inconsideratum, non quia non satis cognitum speculative, sed quia non ut debuit tractatum est. Ergo sicut proprium bonum ex comprehensivo judicio orto, et formato circa propriam naturam est acceptum pro fine, et recusatum est bonum divinum ex eodem judicio, et exclusum est uti lumine supernaturali ad ejus directionem. Quidquid autem ex vi principiorum comprehensive cognitorum attingitur, vel recusatur, inflexibiliter attingitur, quia eadem indivisibili tendentia, et actu attingitur, vel deseritur, quo ipsa principia. Ergo ille finis malus determinate accipitur, et finis divinus recusatur, ipsaque exclusio luminis superioris, et inconsideratio irrevocabiliter est volita, quia per motiva, seu principia comprehensive proposita tangitur. Et licet per lumen superius, seu supernaturale posset corrigi ista inconsideratio, et fieri conversio in oppositum, tamen cum determinatus, et firmatus fuerit Angelus in non admittendo illo lumine, sed in recusando illud, et ad hanc recusationem processerit

ex principiis, et motivis a se comprehensive cognitis circa suam naturam, et bonum proprium; ideo manet circa hoc ipsum inflexibilis, quia omne remedium immobiliter exclusit, eo quod recusatio ipsa remedii volita est ex motivo comprehensive, et plena deliberatione cognito. Unde ut Deus convertat Angelum, necesse est vel infundere illi lumen clarum supernaturale, vincens totam comprehensionem naturalium principiorum, vel destruendo modum connaturalem ejus in cognoscendo naturaliter reducere illum in modo cognoscendi ad illum statum quo fuit in primo instanti in quo creatus est, ut inde iterum incipiat de novo eligere, et deliberare de fine.

XV. Quod si dicas : Quomodo si Angelus habebat in illo instanti cognitionem certam per fidem de ipso Deo, et de convenientia rei supernaturalis, potuit per comprehensivam cognitionem proprii boni, et excellentiæ propriæ, ita inflexibiliter excludere cognitionem, et considerationem illius superioris regulæ, et luminis supernaturalis, responderetur quod illud lumen supernaturale, licet esset superius, erat tamen obscure cognitum Angelo, et imperfecte, utpote per fidem, et voluntati Angeli subjectum, quia fides pendet ex pia affectione voluntatis; unde liberum est Angelo tali lumine uti, vel non uti, potestque ex cognitione, et comprehensione suorum principiorum naturalium moveri ad recusandum refutandumque tale lumen quoad ejus usum. Et quia illa recusatio est volita ex motivo immobiliter, et comprehensive cognito, et ex penetratione talium principiorum, quibus subjicit hoc quod est velle, vel non velle tali lumine uti; ideo eadem immobilitate qua principia illa comprehendit, recusationem illam attingit, quia ut sub-

jectam talibus motivis, et principiis vult.

XVI. Ex quibus manent concisæ omnes solutiones, quæ huic rationi possunt adhiberi.

Prima, non immobiliter ferri Angelum in illa principia, et fines, quam in conclusiones, et media nec omnino certum esse Angelum non discurrere saltem circa supernaturalia, nec eodem actu ferri necessario in finem, et libere in media, quia liberum, et necessarium distinguunt ipsos actus.

Secunda, posse uti illa cognitione principiorum, non adæquate, et comprehensive, sed inadæquate, et modo secundum istud objectum, modo secundum illud : nec enim semper utitur adæquate qualibet specie, et attingendo omnia, quæ tali specie representari possunt, ut etiam D. Thomas concedit : ergo potest uti aliqua specie, seu principio ad cognoscendam unam veritatem quantum ad aliquid, et postea quantum ad aliud; et sic non omnia motiva modo considerare, et postea considerare illa, et sicut variari aut crescere potest cognitio in motivis, ita et possunt variari affectus. Unde etiam cogitationes Angeli volubiles sunt, et habet discursum successivum, esto non habeat causalem, sufficit autem successivus discursus, seu mutatio cognitionum, ut possit mutare voluntatem, quia hæc non tam dependet ex discursu formali, et causali, quam ex successivo, quod iversa objecta, vel motiva manifestantur, ex diversa antem manifestatione mutatur voluntas; et sic potest novo modo objecta considerare, et ab eo quod voluit semel reduci, et reverti.

XVII. Tertia, quod Angelus peccavit ex inconsideratione alicujus; quod considerari debebat, ut docet S. Thomas supra q. LXIII, art. I ad IV, cum peccatum necessario

contingat ex defectu dictaminis, seu considerationis. Si autem peccavit Angelus non considerando: ergo si iterum consideret, potest oppositum velle: si enim voluit peccatum ex considerationis defectu, sublato tali defectu poterit cessare a peccato, et oppositum velle. Posse autem Angelum de novo considerare id quod considerare desiit quando peccavit certum est, quia facultatem habet ex parte intellectus, lumenque sufficiens, et speciem ex parte objecti, cum nihil horum amiserit per peccatum; et sic nullum principium ei deest ad considerandum id quod considerare omisit, præsertim quia suo jam malo edoctus, bene potest considerare quantum erravit in peccando, et recedendo a Deo.

XVIII. Cæterum solutiones istæ nihil elevant fundamentum D. Thomæ. Non prima, quia Angelum non discurre, sed comprehensive procedere, et simplici actu attingere principia, et res contentas sub principiis, supponendum hic est, non probandum, ut D. Thomas etiam supponit, reliquitque probatum supra q. LVIII. Et quidquid sit de discursu, quem aliqui attribuunt circa supernaturalia, tamen constat in his quæ naturaliter cognoscit comprehensive procedere, et sine discursu, alias non esset elevatior, et perfectior intellectus Angeli, quam hominis si discursu utitur, quo homo intelligit. Quod si in modo naturali intelligendi, et circa naturalia principia procedendo, sine discursu cognoscit, etiam in supernaturalibus sic procedet, quia lumen supernaturale accommodatur modo naturali intellectus, cui infunditur, nec deprimit modum intelligendi, et inferiorem facit, sed elevat. Quod verò dicitur non tanta immobilitate adhærere, et tangere conclusiones ipsas, sicut principia, media sicut

fines, respondetur quod eadem prorsus immobilitate, et firmitate fertur in utrumque, quia eodem actu, et tendentia, sed non æque immediate, sed ordine quodam, eo quod conclusiones se habent ex parte objecti, ut dependentes a veritate principiorum, et appetibilitas eorum quæ sunt ad finem ex appetibilitate finis, sed tamen ex parte actus, et efficaciam motivi attingentis in utrumque eadem immobilitate fertur, quia eadem tendentia comprehensiva utriusque, non tendentias dividendo. Quod vero dicitur de libero et necessario, respondetur quod actus ille erga finem est necessarius quoad specificationem, non quoad exercitium, et ita potest comprehendere media circa quæ versatur libere, etiam quoad specificationem: sufficit enim quod sit liber quoad exercitium, ut non sit necessarius simpliciter; et sic identificabit sibi liberum exercitium circa media, nec ab illo distinguetur ratione necessitatis. In visione autem Dei, actus erga finem clare visum est necessarius quoad exercitium, et respectu objecti creati est liber, sed hoc est propter eminentiam illius actus identificantis illas duas rationes respectu diversorum.

XIX. Nec secunda solutio quidquam obstat. Fatemur posse Angelum uti inadæquate principiis respectu aliquarum conclusionum, aut speciebus respectu objectorum, quæ repræsentant; fatemur etiam dari in Angelo discursum successivum, intelligere unum post aliud; negamus tamen hoc posse quidquam conducere ad retractationem, et flexibilitatem liberi arbitrii semel determinati, et ex plena determinatione eligentis, quia ad retractationem non confert quidquam successio, et diversitas cognitionum aut inadæquate attingere diversa objec-

ta, quia totum hoc est respectu diversorum, quorum unum cognoscitur post aliud, sed ad retractationem solum conducit nova, et diversa cognitio circa idem objectum, quia scilicet melius, aut diverso modo apparet nunc, quam ante, quod solum potest contingere quando novo lumine illustratur, aut aliquid novum, quod de illo ante latebat, nunc apparet: si enim tale objectum novo modo non consideratur, sed id quod per cognitionem succedentem cognoscitur est diversum, nihil omnino conducit ad mutandum dictamen circa prius objectum. Non potest autem Angelo manifestari de novo objectum illud circa quod semel resolutorie, et determinate deliberavit, aut saltem connaturali modo ad naturam Angeli id non potest fieri: tum ex generali ratione, quia Angelus quando plene deliberat, præsertim in re tam magni momenti, tota attentione considerat, et comprehensione sua utitur: multo enim perfectius procedit Angelus in deliberatione gravi, quantum est ex natura sua, quam quilibet cordatissimus, et sapientissimus homo, cum sit altior, et perfectior ejus natura modoque procedendi, homo autem sapiens non procedit ad resolutionem rei magnæ, nisi attentis omnibus quæ facultati ejus possibilia sunt: multo ergo minus Angelus, qui per naturam habet superiorem sapientiam, et lumen, quam quilibet homo per industriam possit acquirere; tum in speciali circa hoc negotium deliberandi de suo fine ultimo processit Angelus cum plena cognitione totius causæ, quantum est ex parte veritatis cognitæ, ut dicemus contra tertiam resolutionem, licet defectuose se habuerit in affectiva cognitione; et ita circa illud objectum ad quod se determinavit nihil ei restat cognoscendum, nec reliquit viam, qua

possit illuminari de alio motivo retrahente, sed ipsi claudunt virtutem inspectivam ab omni consideratione boni, ut ex D. Dionysio IV c. de divinis nominibus, et D. Thomas ibi lect. XIX, supra dicimus, quod etiam repetit in II, dist. VII, q. I, a. II ad III. Itaque Angelus cum deliberavit in peccando circa finem, eodem indivisibili, et simplici actu consideravit bonum, et excellentiam propriam comprehensiva, et plena cognitione ex suis naturalibus principiis, et recusavit, seu exclusit a se supernaturale lumen, claudens inspectivam virtutem a bono, et nolens per illud dirigi, sed in sua propria excellentia, et naturali cognitione remanere. Unde ipsa exclusio luminis superioris fuit una ex conclusionibus sub principiis ejus contenta, et ad quam ex fine ipso volito se determinavit; et sic ex consequenti præclusit viam omni remedio, et omni motivo conversionis ad Deum ad modum eorum, qui peccant in Spiritum sanctum qui ex ipso genere, et objecto peccati se opponunt gratiæ, qua Spiritus sanctus eos movet ad conversionem, et remissionem peccati, ideoque si tales aliquando sonantur quasi miraculose sonantur, ut docet S. Thomas 2-2, q. XIV, art. III. Hoc ergo quod ex suo objecto habet peccatum in Spiritum sanctum habet ex parte subjecti peccatum superbiæ in Angelo, quia ita fertur in proprium bonum, et excellentiam tamquam in finem, quod sine aliquo discursu, sed comprehensivo modo fertur in finem in communi, et in talem determinatum finem, et ex eodem motivo, et immobili, ac firma tendentia accipit tamquam conclusionem, seu quid consecutum non subjici fini bono, et recusare beatitudinem, seu supernaturale lumen quo sibi oppositum manifestaretur. Unde cum

ista recusatio, et exclusio qua suam inspectivam virtutem claudit, a lumine cœlesti sit acceptata ab Angelo, eadem tendentia, et actu quo ipsa principia videntur, eodemque motivo, quo ipse finis in communi, ideo nec ex proprio modo operandi ex principiis suæ naturæ, neque ex amissione luminis supernaturalis, quod eadem immobilitate excludit, est naturali modo reducibilis, sed solum de potentia absoluta Dei per magnum miraculum vincens naturalem illum modum operandi.

XX. Denique, tertia solutio nihil obstat, quia inconsideratio illa Angeli non fuit involuntaria, et ex aliqua ignorantia veritatis, et motivorum orta, sed fuit volita, et prævisa, et cum cognitione causæ, et totius veritatis affectata, et hæc est pejor inconsideratio in genere practico, et prudentiali: tunc enim pejus errat practica vis in genere prudentiali, quando magis sciens peccat, et cum majori notitia, et sciens ac volens claudit oculos a superiori lumine, quia tunc excusationem ullam non habet. Itaque speculativa consideratio, et notitia quando quis ea abutitur, magis conducit ad inconsiderationem practicam, et errorem prudentialem, et abundantia speculationis magis irremediabilem facit inconsiderationem practicam: tunc enim pejus erratur quando quis sciens errat, et avertit se a via: et tunc inconsideratio illa est irreducibilis, quia est ex contemptu ipsius veritatis, et motivorum per quæ posset reverti: dicitur autem inconsideratio, non ex parte veri, sed ex parte boni, quia est minus affectiva ad bonum, et quanto plus cognoscit de objecto, magis vult avertere aspectum ab eo quod in ratione boni movere, et conducere potest, si autem quis cognoscendo rem ipsam, ex affectu tamen ad proprium bonum firma-

tur in excludendo a se cognitionem ut affectivam ad aliud bonum fit irreducibilis, sicut in peccatis contra Spiritum sanctum, et si hoc excludat ex ipso connaturali modo procedendi, quia indivisibili, et simplici modo procedit in determinando se, et comprehensivo modo erga finem, et media, principia, et conclusiones, naturaliter est inflexibilis, et solum de potentia Dei absoluta immutante naturam in suo naturali modo procedendi potest reverti. Angelus autem non peccavit ex infirmitate aut ignorantia, sed ex certa scientia, et summa malitia, nec in recusando, et excludendo a se obedientiam ad supernaturalem ordinationem, et finem, se habuit ignoranter, sed cum cognitione causæ voluit illam recusare, et totaliter illi non subjici: nam circa hoc fuit tota pugna inter bonos, et malos Angelos, dum erant in via, et ipse diabolus bene videt alios Angelos sequi oppositum, et velle subjectionem in supernaturalibus ipsi Deo, et consequi ex ejus beneficio gloriam, quod tamen ipsi recusabant. In hoc ergo non peccaverunt ex inconsideratione ignorantia, sed ex inconsideratione malitia, et voluntaria, ut S. Thomas docet loco supra citato, lect. XIX, in capite IV Dionysii. Et talis inconsideratio non est reducibilis, quando oritur ex modo operandi subjecti, quia non est ex defectu considerationis objecti, ut veritas est, sed ex defectu considerationis, ut boni, seu ut efficientis, ut S. Thomas citato loco. Et quia hoc ipsum quod est excludere hanc considerationem boni ut bonum, et recusare lumen supernaturale per quod oppositum sibi poterat sic manifestari ut afficeret voluntatem, accipit Angelus tamquam pertinens ad ipsum finem, et ad propriam excellentiam quam appetit, volens illam sine subjec-

tione ad gratiam, et beneficium speciale Dei, ideo circa talem determinationem remanet naturaliter irreducibilis, quia eadem immobilitate qua finem vult, claudit omnem viam considerandi, et admittendi supernaturale lumen, quo posset reduci, quatenus illi subjici non vult, et hoc non velle subjici, est pars finis ab eo immobiliter voliti. Unde hæc est summa ejus inconsideratio in re practica, et in ratione boni ut affectivi, quæ non potest tolli per aliquid de novo consideratum in ordine naturali, quia totum vidit, nec in ordine supernaturali, quia claudit ab eo lumine oculos cæcitate orta ex comprehensivo, et indivisibili modo tendendi in propriam excellentiam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXI. Primo arguitur: Inconsideratio ex qua Angelus peccavit, non fuit talis, quod omnem viam et aditum claudit (quantum est ex se, et remoto statu condemnationis) luminis divino, nec ex tanta comprehensione, et evidentia principiorum peccat, quod de necessitate immobiliter judicat de his quæ sub fine continentur: ergo ex natura sua, et ex intrinseca causa non immobilitatur. Consequentia patet, quia tota ratio D. Thomæ pro immobilitate Angeli est ipsa immobilitas iudicii: conformatur enim voluntas in appetendo ipsi intellectui in iudicando, nec est magis intrinseca, et propria causa adhæisionis voluntatis, quam firmitas, et immutabilitas iudicii. Antecedens probatur: nam peccatum præcludens viam gratiæ moventi ad pœnitentiam, eamque recusans est peccatum in Spiritum sanctum ideoque irremissibilitatem secum affert, quia ipsa

remedia, quibus tolli poterat peccatum, contemnit, eisque aditum præcludit ut docet S. Thomas 2-2, quæst. XIV. Angelus autem in primo peccato non peccavit in Spiritum sanctum ut expresse docet S. Thomas in II, dist. XLIII, q. I, art. VI, sed peccavit ex nescientia, quia non consideravit ea quæ consideranda erant ad evitacionem peccati, ideoque magis dicitur peccatum ejus in Filium, quam in Spiritum sanctum, ut ibidem dicit S. Thomas: ergo illud peccatum non fuit ex genere suo irremissibile: ergo neque inflexibile. Deinde, probatur idem antedicens, quia tunc Angelus in suo iudicio procedit comprehensive, et irrevocabiliter, quando in principiis attingit ea quæ per necessariam consequentiam, seu connexionem cum talibus principiis connectuntur, quæ autem contingenter, seu libere connectuntur, non evidenter, nec per se attinguntur in talibus principiis: ergo nec comprehensive, nec immobiliter, sed ad talem attingentiam rei contingentis intervenire debet aliqua ratio, vel motivum mutabile et non fixum. Quod autem Angelus viso, et comprehenso fine in communi velit determinate hoc vel illud pro fine determinato est omnino contingens, et non per se connexum cum ratione finis in communi, ut patet, quia ante adhæisionem, et deliberationem plenam, liberum erat ei adhærere, vel non adhærere illi parti: ergo non erat illa pars per se et necessario connexa cum tali principio: ergo ex vi comprehensionis illius, et immobilis adhæisionis ad principium, non sequitur immobilis adhæisio ad talem partem contingentem.

XXII. Confirmatur, quia si ex vi penetrationis comprehensive principiorum, et conclusionum non potest Angelus mobilitari, sed inflexi-